DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. MARTII,

M. CYPRIANO HVBAVLT Doctore Medico, Moderatore.

An irasci, senibus salubre?

959

CALORIS vnius beneficio viuentia conseruantur, illius extinctione necessariò pereunt: hunc licèt conuenienti pabulo videatur Natura sociasse, ex cuius consumptione certa & indubitata pernicies impendeat; humanæ tamen subest industriæ, vires illius ea ratione moderari, vt non tantùm præstantius opera perficiat sua, sed & longiori morâ perseueret. Hinc Medicus supremum numen aliquatenus videtur æmulari, cùm operis ab eo tam sapienter elaborati ruinam impedit, illúdque in suo statu diutissimè retinet. Atque vt igni solers pyrotechnicus eâ nouit arte frænum aut stimulum iniicere, vt inæquali celeritate subiectam lignorum congeriem absumat & à suffocationis periculo fiat immunis: sic Medici præcipuè interest Vestalem flammam nobis ingenitam, cùm æterna esse nequeat, tardiùs saltem extingui, eamque si languescat, puriorem ac vegetiorem efficere.

DIVINAM licèt & cælestem agnoscat originem viuificus calor, quandiu caduco corpori inhærescit, iisdem quibus hoc affici potest iniuriis, subiicitur: ille, & pabuli penuriâ quam tandem effugere nulli conceditur, fatali necessitate perit; & dum adhuc vitæ cursum conficit, frequenti oppressione affligitur, quam & nimia nutritiorúm, excrementitiorumque humorum, tam vtilium quàm inutilium copia, & crassioris sanguinis tardior in corde motus, committunt. Huic incommodo maximè opportuna est senilis ætas, præ cuius infirmo calore superuacanea plurima congeruntur, & cordis contractio debilior reddita ex ipso vitali fonte in artuum extrema, minùs validè sanguinem caloris influentis vehiculum diffundit: hinc senes præ cæteris assidentem naturæ ministrum debent exoptare diligentem, qui noxiorum humorum tum coctione, tum vacuatione calorem natiuum extingui proximum reficiat: sopitum contrariæ qualitatis admotione suscitet, & similis accessione eumdem imminutum adaugeat.

HVMANVM animum vnum eumdemque in agendo tenorem non præstat obseruare, sed inordinatis aliquando motibus exerceri, quos (etsi possit sæpius) non tamen semper debet coërcere. Hi vt in sapientem hominem cadunt, sic & in sanum, nec parum ad tuendam valetudinem aut morbos expellendos conferunt. Omnium ira præstantissima promptiores & feliciores effectus inuehit: hæc non priuatorum quorumdam hominum, sed generis humani propria affectio, veluti telum rationi à natura data est, quo licet occumbant plurimi, vix vnquam in eum à quo vibratur, sæuire consueuit. Vindictæ appetitum in quo præcipuè ira posita est, ebullientis in corde sanguinis feruor sequitur, vehementiorque vniuersi corporis agitatio; in ea primùm spiritus, deinde sanguis, tandem singulæ partes excandescunt: vnde menti accedit vigor, & ingenio acies, pulsus augetur, rubro cutis colore suffunditur, coctionum genus omne laudabiliùs perficitur, crassiora excrementa per vias naturæ conuenientes vacuantur, tenuiora reseratis corporis arctioribus spiraculis per sudores insensilémque transpirationem expelluntur. Annon vt ipsa morbo interdum debetur sanitas, & superuenienti febri conuulsionis solutio, sic & corporis perfrigerationi, iracundiæ ardor non mediocriter conducit?

PITVITÆ soboles ἀθυμία, pusillanimi abiectique hominis vitium: εὐθυμία sanguineos feliciori sorte beat: cuius tamen tranquillitatis comes est vitalium animaliúmque virium remissio: θυμὸς bili suum ortum refert, cúmque nobilissimus animus, corpus expetat biliosum, ideo illustribus viris familiaris, & melioribus ingeniis innascitur, à cuius impetu in suscipiendis arduis audaciam, in exequendis fortitudinem & robur mutuantur. ὀξυθυμίη concitatior mentis impetus est & celerior in iram præcipitatio, à frigida temperie proficiscens: illa neque omnibus tuta, neque imperanda: juuenibus & biliosis, quorum æstu feruent præcordia, noxia censetur, senibus & mulieribus vtilis: hac tamen vti debent, non abuti: acuendus calor, non accendendus, ne concitetur febris, & humores efferi, decursu vesano in caput sublati, rationem à sua sede dimoueant: sic præceps non audit currus habenas, & ferox ira rectore potentior, pericula, dum inferre cupit, non cauet.

IRASCI solius hominis est, cæterorum verò animantium furere: vnus vt acceptæ iniuriæ opinione percelli potest; sic illius vlciscendæ libidini detrahit quod exundat, eamque ad salutarem modum cogit. Sapiens ira, cuius incursus extra corpus non erumpit, & quæ non alterius pœnam, sed proprium commodum intendit: talem senum prudentia non excludit: in his commota hæc flamma frigidiorem sanguinem accendit, debiliorem arteriarum pulsationem auget, singulas exercet partes, sine virium dispendio, mortis causis plurimùm aduersatur, dum à calore in Corde despumante & vbique diffuso in singulis partibus caloris integritas renouatur: earúmque emendatur siccitas, cùm sanguine vehementiùs impulso, in particulas macie confectas succorum benignitas infunditur, quibus hoc viuifico nectare recreatis, viuidus redditur faciei color, & quasi postliminio reuersus iuuenilis ardor, vires animo nouas corporíque conciliat: ita vt iure merito ἐκ χεύματος ἀναλήψιος εἵνεκα ἐκ ἰσχνώσιος, non concedi tantùm possit, sed sæpe à peritiore Medico debeat imperari.

Ergo irasci, senibus salubre.

Proponebat Lutetiæ TVSSANVS FOVCAVLT Parisinus, A. R. S. H. M. DC. XLVI.